Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1673

Quelle:
Copyright:

porro I. *Picardis*, quos et *Advenas* adpellat Noſter, tributus eſt: *Quod non ſunt tres perſone pater filius et ſpiritus ſanctus equales potentia ſcientia et maieſtate in perfecta vna eademque deitate.* II. *Quod ihesus chriſtus non ſit verus deus et homo.* III. *Quod panis ſacramentalis non eſt verum corpus chriſti ſed tantummodo panis.* Idem de Vino. &c. *Articulus* XXV. *Quod jam nunc ſcilicet in anno preſenti qui eſt annus domini MCCCCXX. fiet et eſt conſummacio ſeculi.* XXXI. *Quod in hoc tempore vlcionis quilibet fidelis eſt maledictus qui gladium ſuum prohibet a ſanguine aduerſariorum.* Et ſic deinceps multi Articuli ſanguinarii, ut XXXV. *Quod iam nunc in hoc anno vlcionis ſucciſionis et retribucionis pragenſis ciuitas velut babilon debet deſtrui et comburi.* XXXVI. *Quod iam iſto tempore vlcionis nemo ſaluari poſſit — niſi in congregacione moncium corporalium et cauernis petrarum, vbi fideles ſunt modo congregati.* &c. *Taboritas* et *Waldenſes* junctos haec et ſimilia praedicaſſe habes in *Laur. Brzezinae Diario Belli Huſſit.* T. VI. *Reliq. Mſs. Ludewigii* p. 155. et *ſeqq.* Nihil vero in *Articulis* noſtris de Mulierum communione et nuditate *Adamitica;* unde adparet, fluctuaſſe *Picardorum* nomen, variisque Sectis, ut induſtrii ſunt Polemici in compellandis Adverſariis, impoſitum fuiſſe. Id quod queritur *Joh. Laſitius* in *Memorab. FF. Bohemorum* C. 2. *Amſt.* 1660. p. 18. 8. Et revera quid horum manſuetudini cum *Taboritarum* furore?

IV. *fol.* 81. p. 2. *De Uſuris*, ut in calce, *publicis et occultis. Anno M°. CCCC°. XXI°.* Initium: *Licet uſura in bona ſignificatione capiatur pro diſpoſicione ſupernaturali qua fideles ſecundum dona conceſſa mercantur regulariter ad dei beneplacitum* &c. Adlatis dein contra uſuram *in malo* acceptam variis Scripturae locis exercitam tamen eam fuiſſe ait *in hac magna pragenſi communitate ab antiquo nimis profunde et multipliciter.* Itaque quid in hoc negotio fas, quid nefas ſit, explicat, et finit: *eo acutius ſtudent hanc palliare iniquitatem quo apertius et vniuerſalius prohibita eſt chriſtianis quam iudeis. Amen.* Autor non indicatur.

V. *fol.* 92. p. 2. *In nomine domini incipit ſancta Sinodus habita et rite celebrata de anno domini MCCCCXXI. die VII. menſis iulij In Inclita Ciuitate Pragenſi ſub Conbrado Archiepiſcopo* &c. Conciliabulum iſtud, cui praefuere *Joh. de Przibram, Procop. de Plzna, Jac. de Miſa* et *Joh. de Nova Civitate*, pauciſſimis mutatis legitur apud *Cochlaeum Hiſt. Huſſit.* L. V. p. 186.

VI. *fol.* 97. *Prophetae Majores* et *Minores* e Verſione Vulgata cum Prologis *Hieronymi*, et ad calcem: *Scripta ſunt hec Prage ſub anno domini M°. CCCC°. XXI. immediate proxima feria tercia poſt feſtum paſce.*